

§ 14.

Sed quæritur: Solusne Filius, an vero & Pater & Spiritus S. sese Prophetæ manifestaverint? Sunt plures, qui solum Dei Filium apparuisse autumant, quia una tantum persona sub una hominis specie solio insidens describitur. Sed diffiteri non possumus, plures Trinitatis Personas sese Prophetæ manifestasse. Nam v. g. Dominus solio insidens consultationem init cum pluribus personis; *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Ejusmodi vero consultationes non cum angelis, sed cum reliquis SS. Trinitatis Personis instituuntur. Similem habemus consultationem *Gen. 1. 26. Faciamus hominem*, quam sine ratione cum angelis initam dixeris, quia non sunt creatores. Nec sufficit dixisse: Deum magnatum instar esse locutum, quam sententiam *R. Aben Ezra Comment. in Gen. cap. 1. 26.* prolixè refutavit. Superest igitur ut statuamus: tres SS. Trinitatis Personas consilium de creando homine iniisse. *Irenæus lib. IV. cap. 37.* jam suo tempore agnovit, hanc consultationem inter divinitatis personas esse factam. *Adest enim ei, (Patri) inquit, semper Verbum & Sapientia, Filius, & Spiritus S. per quos, & in quibus omnia libere & sponte fecit, ad quos & loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem nostram & similitudinem nostram.* Inde persuademur, nostram apud *Esaiam* consultationem: *Quis ibit nobis*, inter easdem personas esse peractam, ex qua observatione sequitur, Personas consultantes etiam Prophetæ esse manifestatas. Accedit, quod *Act. XXVIII. 25.* legimus, Spiritum S. in hac visione sese manifestasse, & per Prophetam nostrum præsens vaticinium locutum esse. Ita & Paulus, quæ *David Ps. XCV. 7. 8.* de provocatione DEI in deserto dixit, Spiritui Sancto ad *Hebr. III. 7.* tribuit: *quapropter sic dixit Spiritus S. hodie si vocem ejus audiveritis.* Sed fortasse quæras, qua ratione sub una persona omnes tres personæ se manifesta